

*Tu es Christus Dei.
Oportet Filium hominis multa pati.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

9, 18-24

- ¹⁸ Factum est cum solus esset Iesus orans,
erant cum illo discípuli,
et interrogávit illos dicens:
«Quem me dicunt esse turbæ?».
- ¹⁹ At illi respondérunt et dixérunt:
«Ioánnem Baptístam,
álii autem Elíam,
álii vero: Prophéta unus de prióribus surréxit».
- ²⁰ Dixit autem illis:
«Vos autem quem me esse dicitis?».
Respóndens Petrus dixit:
«Christum Dei».
- ²¹ At ille increpans illos
præcépit, ne cui dicerent hoc,
²² dicens:
«Opórtet Fílium hóminis multa pati
et reprobári
a senióribus et princípibus sacerdotum et scribis
et occídi
et tértia die resúrgere».
- ²³ Dicébat autem ad omnes:
«Si quis vult post me veníre,
ábneget semetípsum et tollat crucem suam cotidie
et sequátur me.
- ²⁴ Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere,
perdet illam;
qui autem perdíderit ánimam suam propter me,
hic salvam fáciet illam».

Verbum Dómini.